

non credis, quem metuo ut credas. Audi Plinium in Paneg: ad Trajanum; Age cum DEO, ut te sospitem, & incolumem praestet, si tu ceteros, si rempublicam utilitate omnium reges. Sin contra ille quoque à custodia corporis oculos dimoveat; te relinquat. Audi quod non scelerata, sed DEUS principes servet, DEUS debet esse à latere Principis ne dolis capiatur. Jovi cura venerandi Principis, antiquus ait Ethnicus. Claudio cum voce Salomonis Sapient:6. *Data est à domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: Quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiae; neque secundum voluntatem DEI ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis: quoniam judicium durissimum in his qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Tractent ergo Reges & rectores urbium suos subditos, ut patres filios: cogitent & sibi dicant. Quod habet Tertullianus in Apol: *Inde est Imperator, unde & homo antequam Imperator: Inde & potestas, unde est parvitas.* Magni DEI simulacrum es, magni patris omnium personam sustines; age personam factis exprimas, omnia verba & opera patrem sonent.

FINIS.



Lit. Lat. rec. B 23, 12.